



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 2. Specialia præscribenda libidinosis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

ideò illi, qui rebelles nostras ad se potest compellere voluntates, indeśinenter supplicate, ut ab ipso convertatur.

Præterea, sicuti specialium virtutum exercitia, & speciales Pœnitentiæ, ac mortificationes specialiter valent ad conversionem à vitiis contrariis, ita quarumlibet ferè virtutum exercitia, & quælibet ferè Pœnitentiæ, ac mortificationes valent generatim ad conversionem à quibuslibet peccatis.

Quæ ad conversionem à peccatis deserviunt; etiam solent deservire ad vitanda peccata, ad quæ vitanda insuper necessarium, ut confitens jubeatur externas peccatorum occasiones fugere, internas contrariis actibus impugnare, & officiis suis tam generalibus hominis Christiani, quam specialibus statu, &c. sedulò incumbere.

§. 2. Specialia præscribenda Libidinosis.

PRæter generalia hactenus expressa (quibus adde humiliter etiam aliorum preces pro sua conversione implorare) dantur specialia, quæ radici, occasionibus, & mediis specialium virtutum opponuntur contrariè, vel contradictoriè.

1. Radici libidinis, id est concupiscentiæ carnis spectanti ad tactum, opponuntur contrarie, quæ corpus cruciant in tactu; contradictoriè cessatio ab iis, quæ causant delectationem tactus, quæ proinde, servatâ debitâ proportione, injungi poterunt, vel, si aliunde superveniant, ut morbi, paupertas, officii, opificii, aut statu mo-

le,

lestiae, injungi poterunt, ut in salutis remedium
acceptentur.

2. Præscribendum erit, ut occasiones, & me-
dia ad libidinem (qualia esse possunt, cum per-
sonis quibusdam alterius sexus habitare, con-
versari, oculos in eas defigere, de illis frequen-
tiis cogitare, obscenas statuas, ac imagines
contemplari, libros impudicos, amatorios, de
mulierum qualitatibus, ac affectibus tractantes,
legere, otiani, diutiis, quam justa necessitas
exigit, lecto inhærere) præscribendum inquam
erit, ut tempore dilatae Absolutionis non solùm
ab ipsis cesseret, verum, ut, servatis servandis,
Pœnitens interea adhibeat ea, quæ similibus oc-
casionibus & mediis contrariantur: V. G. ut pro
conversatione cum impudicis ejusdem sexus, sit
conversatio cum hominibus pietati & castitati
deditis; ut pro frequentatione loci minùs ho-
nesti & casti, sit frequentatio templorum, &c.
& maximè injungenda sobrietas in cibo & potu,
& abstinentia à certis cibis & potibus libidinem
magis irritantibus: specialiter quoque injungen-
da, quæ acediae opponuntur: nam ut plerisque
libidinem causat intemperantia, ita non paucis
acedia.

§. 3. Præscribenda adversus Iram, proxi- mi Odium, &c.

Ira & odio directissimè contrariatur bene-
facere (maximè in eadem materia) eidem illi
personæ, adversus quam habiti fuerunt dicti